34·4·D·21

APOLOGIA
SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ QVOAD MODVM PROCEDENDI circa regimen Catholicorum Angliæ tempore perſecutionis cum defenſione religioſi ſtatus.

AVTHORE DANIELE A IESV S. Theologiæ Lectore, ex Anglico in Latinum fideliter conuerſa.

Cui acceſſit Epiſtola ad Illuſtriſsimos & Reuerendiſsimos Galliæ Epiſcopos, qui de eodem libro cenſuram tulerunt.

Apoſtolicæ ſedis reuerentia nullius præſumptione turbetur: tunc enim membrorum ſtatus integer perſeuerat, ſi caput fidei nulla pulſetur iniuria. *Greg l. 11. c. 42.*

COLONIÆ,
Sumptibus Symonis Fabritij.

1631.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTISSIMIS ET Reuerendiſsimis Archiepiſcopis & Epiſcopis, qui de libro Danielis à Ieſu cenſuram tulerunt, Dominis ſuis colendiſſimis, ſalutem & fælicitatem à Deo precatur.

G. W. Euulgator.

FAS mihi ſit Illuſtriſſimi ac Reuerendiſsimi Domini, Danielem à Ieſu ad veſtri iudicij cenſuram, velut ad fortiſsimi Achillis haſtam repreſentare, vt quę ſuo pondere terræ affixit inauditum, eadem placidè rurſus admota, erigat, recreétq; audiri ſupplicantem. Si librum idiomate Præſulibus tantæ dignita-

Digitized by Google

tis, ſapientiæ, ſanctitatis, orbis terræ luminibus, noto, ab authore editum damnaſſetis, viſâ veſtra cenſura, digito ori adplicito, iudicij veſtri ſplẽdore oppreſſus ſiluiſſem, ne ſi repugnaſſem Spiritui ſancto (quem cætibus veſtris legitimis ſuæ prouidentiæ alis incubãtem veneror, & colo) viderer dicere, Cur ita facis?

Quanquam non poſſum inficias ire nonnullos varijs in gentibus in veſtri facti rationem curioſiùs inquirere, in eóq; liberius prudentiam, charitatẽq; requirere. Per vos (aiunt) Eccleſię Martyrum ſanguine purpuratæ, & ſedi etiam Apoſtolicæ totius authoritatis Eccleſiaſticæ fonti inuſta ſtigmata, dum libros, quibus honor vtriuſq; defenditur, ſupprimitis; imò illis infamiæ omnes notas imprimitis, libris in quibus violantur intactis. Quod dicitis veſtræ

charitati limitem nullum eſſe, voluiſſe vos Genti vltra Oceanum laboranti ſuccurrere, hoc aliud non eſſe, quam Epiſcopũ Epiſcoporum S. D. N. negligentiæ, incuriæque arguere. Si libris peſtifera ineſſent, hæreticaq; dogmata, pertinuiſſe ad Apoſtolicam ſedem prouidere, ad quam cauſa iam delata fuerat, præſertim Britanniç ab Epiſcopis deſtitutæ. Hoc autem cum etiam monita non fecerit, ſatis declarauit ſe vobiſcum non ſentire, ſuoque ſilentio Britannis prçſcribit veſtram Cenſuram neceſſariam non fuiſſe. Quod Illuſtriſsimus Nuncius Apoſtolicus, qui Pariſijs agit, cui propria Britannorum incumbit cura, harúmq; litium ordinarius Iudex, nec veſtris cætibus cum de libris iſtis ageretis, interfuit, nec veſtro decreto ſuum nomen addixit. Quid hoc aliud eſt quam dice-

Digitized by Google

re, ſuiſque ouibus indicere, ipſius (qui Paſtor eorum ſit) iudicio, nihil his libris ineſſe doctrinæ, quod cenſuram ſeueram mereatur.

Illud etiam obſeruant, cauſam fidei Catholicę nó magis ad veſtras A. A. quam reliquarum Gentium Epiſcopos Belgij, Germaniæ, Hiſpaniæ, Italiæ pertinere. Cur horum librorum Maſtiges ad illos etiam cauſam communem non detulerunt? Cur vos ſolum arbitros poſtularunt? Certè non deſunt, qui affirmare audent, non quæſiuiſſe quos putarunt pro ſua ſupra cæteros doctrinæ præſtantia grauiſsimè iudicaturos, ſed quos ſperarent ad maleuolæ ſuggeſtionis auram partium ſtudio leuiſsimè commouendos. Cenſuram cum nulla tanta cauſa cogeret, ſine reliquorum Epiſcoporum conſilio immatura feſtinatione latam, non ſine

diſcordiæ periculo, cum liber damnaretur, quem conſtabat à Theologiæ Magiſtris numero ſupra viginti omnium propè gentium ſæcularibus, Regularibus, etiam Epiſcopis approbatum. Nam ſi in eo quod vos fidei Catholicæ vel hæreticæ labis eſſe definitis, à vobis reliqui diſſentiant, ſi damnatos iudicent innocentes, neceſsitatē ipſis impoſitam, vt vobis repugnent, ne vel errori vel iniquitati fauere videantur.

Cui enim dubium eſſe poterat, quin Regulares cenſura, qua nulla cogitari poteſt acerbior, violati, reliqui orbis, Catholicæq; Eccleſiæ, quod iure poſſunt, iudicium appellaturi eſſent, damnati ſcilicet inauditi, atque adeò, quod præſumi debet, innocentes, cum accuſatores conſpectum eorum, neque quidem ferre ſint auſi. Regulares, inquam,

geminæ Gentis Florentiſsimorum Ordinum nobilia membra, exiſtimatione ſanctitatis, opinione doctrinæ, ſcriptione in Hæreticos, pro fide laboribus, Principum virorum conuerſionibus, vinculis, tormẽtis, martyrijs inclyta, à quorum bono nomine pendet iis in Gentibus tot animarum ſalus, quos, in ſuæ famæ populis neceſſariæ violenter ablatæ repetitione, à reliquo ſuorum Ordinum per orbem ſparſorum corpore deſeri, nefas.

Quod autem veſtro gregi cauiſſe, horum librorum prohibitione videri vultis, dicunt, etiamſi quid libris ineſſet erroris, tam longinqua pericula non fuiſſe pertimeſcenda, nedum remedio Catholicis Authoribus, & Regularium Ordinibus probroſo, tanta ſeueritate præcauenda. Scilicet opiliones Galliæ iam me-

Digitized by Google

tuũt, ne ſuum pecus ora vltrà Oceanum, vel in vltimam Thulem porrigat, ibique herbam inſalubrem legat. Rem ſanè æquè facilem ac ratione prædìtas oues libris infici lingua ſcriptis quam non intelligunt, tantum vltra Oceanum venalibus: quos vel ſcriptos eſſe neſcirent, niſi Paſtores ipſi monuiſſent, vt nõ tam prohibuiſſe, quam in notitiam cum nota producere voluiſſe videantur. Quis enim neſcit, ſatiùs eſſe ad ſalu-
tem rem mali exempli prorſus igno-
am eſſe, quam vetitã, cum rei igno-
æ cupido mortalibus nulla, vetitæ
erò immanis inneſſe ſoleat? Non
ſe Conſilij Sonticum morbum
ılgare in ciues, quo tui vires anti-
ıti oſtentes. Quot mortales hac
nſura monitos non quieturos, do-
c librum perlegerint, atque adeò
ctrinam fortaſsis approbauerint:

de quo, ſi contemptus fuiſſet, ne inaudiſſent quidem.

Ad minuendam etiam cenſuræ authoritatem, cum multorum admiratione & approbatione ſpargitur, Illuſtriſsimum Cardinalem Rochefoucaut claritudine generis inſigné, zeli aduerſus hæreſim præcipui, prudentiæ, grauitatis, iuſtitiæ, & totius æquitatis exemplar, non ſolũ Galliç, ſed etiã Eccleſiæ Catholicæ lumen & decus, ſe, cætui cum prius adfuiſſet; publicè ſubduxiſſe, conuentum ſuper hac re ſuis in ædibus inſtitutum adhibito Notario abrupiſſe, cum videret Authores Catholicos violentia accuſatorum opprimi inauditos, Regularium Ordines pro fide vſq; ad vincula laborantes, pro inuidiæ libidine ludibrijs exponi; neque dubitauit pro ſua prudentiâ eos qui de dogmatibus peregrina

linguâ prolatis maleuolum ſecuti interpretem ſentẽtiam ferunt, in multis à vero authoris ſenſu longiſsimè aberraturos. Hæc quæ libero aduerſus Cenſuram æſtu iactari audiui v. v. A. A. Illuſtriſsimi Præſules, repreſentanda iudicaui, non quod approbem, multo minus, vt vobis improperem, ſed quod veſtri intereſſe putem, non ignorare, quid alibi gentium dicatur.

Ad me quod attinet, omnino perſuaſum habeo, vobis facti veſtri conſtare rationem, quæ ſi me fugit, hoc tamen non me latet, vt diuinorum iudiciorum, ſic etiam veſtrorum tenebras non ſcrutandas eſſe, ſed venerandas. Neque tamẽ deſpero à veſtra benignitate impetrare me poſſe, Danielis vt cauſa rurſus audiatur, muteturq; ſententia, ſi innocens probetur. Hæc enim, quæ ſe humi-

libus inclinat, humanitas , veſtram ſanctitudinem decet , nec dedecet dignitatem , quâ ſummi Pontifices Epiſcoporum Principes ſunt vſi, quorum ſacroſancta eſt , & à Deo proxima Maieſtas. Benedictus huius nominis ſecundus Romanus Pontifex librum Iuliani Archiepiſcopi Toletani, quem de tribus in Chriſto ſubſtantijs ediderat, prohibuit, eũq; ad retractandam ſentẽtiam obligauit. Enimverò cùm Iulianus librum Apologeticum Romã miſiſſet, probaſſetq;, quę dixerat Catholico ſenſu accipi poſſe , ſanctiſsimus Pontifex ſua Maieſtate non putauit indignũ, ſententiam retractare, libróq; quem tenebris addixerat, reſtituere Catholicam lucem.

Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ Æra. 695.

Similem facere gratiam Danielis libro, minore cum veſtræ dignitatis impendio poteſtis , eo quod non ex

veſtrâ ſcientiâ, ſed libri verſionibus, ſeu potius euerſionibus, quas accuſatores obtulere, conſiſi ſententiam protuliſtis. Fieri enim poteſt ſanctitate ſapientiâq; nobiles Epiſcopos magno numero in fidei dogmatibus peregrinâ lingua prolatis decipi, ſi maleuolo vtãtur interprete. Quod ſuo nimiùm exẽplo docuerunt Ariminẽſis Cõcilij Patres Epiſcopi quadrĩgenti. Hi namq; (Eminentiſsimi Bellarmini verbis vtor) *conuenientes Arimini ab Arrianis decepti decreuerũt tollendum eſſe nomen* ὁμόουσιος, *quod quid ſignificaret, non intelligebant; Quemadmodum ſi quis noſtrûm blaſphemam ſententiam proferret linguâ extraneâ, putans eſſe piam aliquam precationem. Quocirca ijdem Epiſcopi, vbi admoniti ſunt & agnouerunt fallaciam, pænitentiam Blaſphemiæ, quamuis tantùm materialiter prolatæ ægerunt; & tunc*

Bellar. de Concilijs.

(*vt ait Hieronymus*) *ingemuit orbis*; *&* *Arrianum ſe eſſe, miratus eſt*. Illuſtre exemplum, quo moneantur fidei iudices, ne maleuolis interpretibus fidant, vobiſq; Illuſtriſſimi Præſules, præſcribitur exemplum, vt in hac cauſâ, ſi fallacia innoteſcat, non cum *gemitu*, ſed cum *gaudio* deceptos vos fuiſſe miremini.

Nam ſi verè dicitis, *vos cum gemitu referre in Danielis libro apertè hæretica inueniri*, certe gaudebitis, ſi tam fœdi criminis inſons detecta accuſatorum maleuolentia probetur. Si verò repugnantes, inuiti, gementes; ſi (vt (*a*) olim ille Medorum Monarcha) accuſatorum improbitate victi Danielem demiſiſtis in lacum inhiantium in eius interitum, leonino dente laniandum; profectò iuſta vobis erit lætitia, ſi prodire videatis incontaminatum, intactum,

(*a*) *Daniel.* 2

neque quidem veſte violata, cum tantùm centoni, quem maleuolus ipſi adplicuerat collector, dentes infixerint. Quod ſi vt olim antiqui Danielis accuſatores cum liberis, ita noſtri cum libris ſimilem demitterentur in ſpecum, Cenſuræq; ſeuerę, immitis, omniáq; carpentis dẽtibus obijcerentur, fortaſsis non ſine verâ tabe prodirent.

Neque vobis arrogans videar, qui vnus, neque tanti nominis cum ſim, videar cum Pariſienſis facultatis Doctoribus in arenam velle deſcendere. Non enim tam eorũ Cenſuram improbare mihi propoſitum, quam calumniam interpretis, Collectoriſq; fraudem detegere, quem probè noui, nec ætatis ita maturæ, nec doctrinæ eximiæ, vel probitatis expertæ, ſed partibus immani ſtudio addictum, è Collegio Anglorum

Digitized by Google

Romano, cum res ibi turbaret, iuſſu Pontificis emiſſum. Quod ſi fortè Scotus homo interpres fuit, de illius aduerſus Regulares infenſo animo ſatis conſtat. Alium Pariſienſis facultas iuratũ nominat teſtem, quod propoſitiones optima fide exceptæ fuerint, & ex Anglico in Latinum verſæ, quod quâ conſcientia fecerit, non capio. Certè enim interpres verba detorquet, præteruolat, omittit, mutat, addit, etiam menda prœli tanquam errores venditat; vt luce clariùs ex notis ad hanc editionem marginalibus patebit. Sed nihil mirum cẽſores lapſos hominis inimici, & à Regularibus auerſi teſtimonio innixos, hominis etiam, vbi in vnam partem ſe dedit, vehementis, & iracundiæ ferocis, cuius nimium nota conſtant exempla. His ego me huius libri editione, non Sorbonæ

Docto-

Doctoribus oppono.

Verum dicet aliquis, eſto, liber nihil falſi contineat, nihil dicat, quod non poſſit ſaluâ fidei compage defendi, tamen importunè, inconſultè, inuerecundè ſtatum Religioſum Epiſcopali confert. Hæc obiectio, quam nonnulli vrgent, qui moderatiores videri volunt, citò euaneſcet, ſi quâ linguâ, quo loco, quo tempore ſcripta ſit Apologia cogitetur. Scripta eſt enim lingua Anglicana Angliſq; tantùm, in quibus nulli Epiſcopi, nulli Ordinarij Prælati, ſed priuilegiati tantum voluntaria iuriſdictione inſtructi. Igitur talis edita eſt, quam nemo Epiſcopus legeret, nemo Prælatus intelligeret, atq; adeo nemo, qui nimis aperta veritatis inſinuatione læderetur, ſed ij tantùm, quibus perſecutionis tempore ſine Eccleſiaſticæ Prælaturæ

Digitized by Google

ornamentis viuendum erat ; inter quos dignitatis Eccleſiaſticæ munus inſtitui non conuenire, ſancta ſedes Apoſtolica, Conſtantiſsimo contra varias importunitates decreto ſemper in hunc vſque diem exiſtimat.

Scripta eſt loco vbi ſæuiente perſecutione Epiſcopalis Imperij nullus eſt vſus , ne dum neceſsitas, vbi ſpectat ad bonum Eccleſiæ, publicamq; pacem Sacerdotes noſtros à dignitatum Eccleſiaſticarum cupiditate , quam maxime abhorrere. Non enim aliundè diſſenſiones & ſchiſmata, & animi inter nos inuicẽ exulcerati, niſi quia aliqui ſæcularis Cleri Epiſcopos cum imperio, Principeſq; conſtitui cupiunt , quorum votis cum ſancta ſedes non annuat, in Regulares & Laicos excãdeſcunt, tanquam illorum operâ fiat, vt Pontifices ita conſtanter in hoc conſilio

Digitized by Google

perſiſtat. Huic Eccleſię quid vtiliùs, huic genti quid aptiùs ſcribi potuit? quam quo demóſtretur illis defectu Epiſcopalis imperij nihil deeſſe, quod ſalutis æternæ interſit, ſine ea nobis ad perfectionem inſtrumenta certiſſima abundè ſuppetere: quod autem ſpectat ad propriam cuiuſque perfectionem multa eſſe, ob quæ Religioſus ſtatus Epiſcopali præferri poſſit. Nimirum hæ ſcriptiones eo ſpectabant, vt noſtri, quibus illa ſublimiſsima perfectionis Epiſcopalis exercitia perſecutionis tempore abeſſe neceſſariò debebant, hoc ſe ſolatio ſuſtentarent, & pulſa ægritudine animi, contentione poſita, in ſanctæ ſedis beneplacito acquieſcerent.

Quod ſi tempus inſpicimus, prodiiſſe Apologiam conſtabit varijs iniurijs & irritationibus, cum defen-

ſio diutius differri non poſſet, euocatam. Iam per Angliam ſparſerant, Confeſsiones omnes Regularium Reuerendiſsimo Chalcedonenſi non approbato, factas, inualidas eſſe, atq; adeò neceſſariò repetẽdas. Hoc vbi ſancta ſedes reieciſſet, aliud comminiſcuntur, Regulares Catholicis, in quorum ædibus degunt, Paſtoralia Sacramenta adminiſtrare non poſſe; horum gratia ſæcularem aliquem accerſendum. Inde liber de Eccleſiaſtica Hierarchia Doctoris Kelliſoni prodijt in lucem, quo ſanctæ ſedi, Catholicis Angliæ, Religioſo ſtatui, non leue vulnus infligitur. Sanctam ſedem perſtringit violatæ Diuinæ legis, dum Diuina lege deberi Angliæ Epiſcopum (*a*) contendit; Catholicos Angliæ dedecorat, quos dicit à defectu Epiſcoporum in Anglia vſq; ad aduentum

(a) c. 14. n. 3.

Digitized by Google

Reuerendiſsimi Chalcedonenſis, fuiſſe plebẽ ſuo Paſtori non (*b*) adunatam, multitudinem vagam, ἀκέφαλοι, Religioſum ſtatum, non ſolum ſub Epiſcopali, ſed etiam Paſtorali (*c*) deprimit, vt huius perfectio, ſit illius non niſi infimus gradus. Non ſolum Curatos & Paſtores, ſed etiam *quoſcunq; ad curam animarum* legitimè vocatos (Sacerdotes Anglos ſeminariſtas intelligit) vocationis excellentiâ Religioſos omnes excellere. (*d*) Cui libro cum Diſcuſsio modeſtè reſpondiſſet, ſtatim prodijt liber, qui dicitur Inquiſitio, à Reuerendiſſimo Chalcedonenſi, vt iactatur, ſcriptus, vbi Author Regulares acerbiſsimis verbis & contumeliis tractat, & eoúſque progreditur, vt (*e*) Regulares vnius Ordinis Pulueraria proditionis promotæ accuſet; vnũq; ex ipſis in ſubfodiendo puluerario

(b) *Dedicat. n.* 18. & *cap.* 14. *n.* 9.

(c) *c.* 11. *n.* 20. *pag.* 326. & 327.

(d) *c.* 11. *n.* 14. *pag.* 328.

(e) *Inquiſ. pag.* 73.

Digitized by Google

ſpecu operam vſque ad profluentem ſudorem non ſemel collocaſſe, deq; hoc infami facinore hodiéq; gloriari; quod crimen neq; quidem hæretici Regulari vlli anteà obiecerant. Deinde non multò poſt prodijt alius liber titulo *Replicæ ad Diſcuſſionem*, qui omni, quo poteſt impetu, Religioſi ſtatus excellentiam deprimit, præfertq; Seminariſtas adeo, vt dicat, (f) *Certum eſſe quod vocatio Sacerdotis Seminariſtæ Angli poſt Epiſcopum ſit altiſſima vocatio, quæ eſt in Eccleſia Dei, & (g) excellere omnes alios Sacerdotes. Videri autem quod vocationi Seminariſtæ non deſit (h) immobilitas, quæ ſufficiat ad ſtatum Hierarchiæ cum officio purgandi, illuminandi, perficiendi (i) ſuperiorem ſtatui Parochorum, & Epiſcopali proximum.* His tot præuijs euocationibus cum Reuerendiſsimus Chalcedonenſis aliique

(f) replica pag. 198. lin. 21.

(g) pag. 195 lin. 28.

(h) pag. 196 lin. 26.

(i) pag. 194. lin. 14.

Digitized by Google

quibus incumbebat, libros iſtiuſmodi ſupprimi iuberent, non ſemel requiſiti nihil ad ſedandam cõtrouerſiam opis adhiberent, Apologiæ Author ſanctæ ſedis innocentiam, Anglicanæ Eccleſiæ vnitatem, Religioſi ſtatus præſtantiam defenſuſurus, ſe dedit in campum.

Quod fecit exemplo non ſolum Sancti Thomæ libro *contra impugnãtes Religionem*, ſancti Bonauenturæ in *Apologia pauperum*, ſed etiam multo antiquiore B. Petri Damiani S. R.E. Cardinalis & Epiſcopi Oſtienſis, de cuius doctrina, ſanctitate, authoritate dubitare nefas. Non defuêre, qui tunc dicerent, quod modo vrgetur, Monachos ad ſua monaſteria relegandos, de Hierarchia non eſſe, nec Hierarchicis actionibus fungi oportere. Contra quos exarſit epiſtola, quam ſcribit nomine Mo-

nachorum, in tomo epiſtolarum, authoritate Clementis (vt ſcribit Cardinalis (k) Baronius) piæ memoriæ collectarum, & iuſſu Pauli Quinti in lucem editarum, quas approbauit Magiſter ſacri Palatij, in (l) tomo, inquam Pariſiis typis excuſo, vbi quidquid Nicolaus Smithæus, vel Daniel à Ieſu habet de dignitate Hierarchica Religioſi ſtatus, multo apertiùs, ampliùs, vehemẽtiùs tradita, pauculas indè particulas delibabo.

an. 1072. (k) tom. 11. mandato Beatiſsimi D. N. Clementis 8. (l) Apud Sebaſtianum Cramoiſy. an. 1610.

C. 5. Epi. 19.

Cunctis amantiſsimis Clericis ac Canonicis omnes vnanimiter Monachi.

M*Vltum fratres chariſſimi, &c. audire, miramur quomodo vel ob quã causã conamini nos à conſortio & vnitate vniuerſalis Eccleſiæ ſeperare, cum conſtet à Monachis, non à Canonicis, vniuerſalem Eccleſiam fundatam, ac gubernatam; & à diuerſo errore cribra-*

tam &c. Apoſtolos certè, & ſucceſſores eorum, ſi irreuerberatis oculis paginas noui inſtrumenti perſpicitis, Monaſtico non Canonico more viuere inuenietis: eiſq; poteſtatem ligandi atque ſoluendi conceſſam à Domino proculdubio reperietis. Et paulo poſt: *Sed ne longius toxica illius veneni ſerpant, manifeſto oſtendimus anteceſſoribus noſtris, PRÆ OMNIBVS CLERICIS hæc Sacramenta licitum fuiſſe cõtingere, & diſpenſare. Requirite ſancta 8.° Concilia, & maximè 6.m & 7.m ibique inuenietis Monachis licitum fuiſſe diſputare abſq; vllo ſcrupulo in conſpectu Cõcilij ſuper omnes qui aderant.* Hæc B. Damianus, qui deindè diſputat de habitu Monachali quantum Clericalem antecellit, affertq; conſtitutionem Bonifacij quarti, quæ incipit, *Nonnulli*, tandémq; his verbis concludit: *propter hoc relinquet Rex*

Regnum, & ſummus Pontifex Pontificatum, Epiſcopus, Epiſcopatum, Comes Comitatum, & multi diuites vtriuſque ſexus ſuas poſſeſsiones in ſæculo, & venient in Monaſteria ad ſeruiendum Deo. Abſit vt Monachus viuens ſub regula vel Abbate ſubijciatur alijs hominibus.

Nefas eſt dicere, Monachus non habet poteſtatem ligandi atq; ſoluendi, vt quidam dicunt, quia mortui ſunt. Verè mortui ſunt huic ſæculo, ſicut ſancti Apoſtoli erant, ex quibus vnus dicebat, ſi enim mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul viuemus cũ eo. *Quis poteſt melius ſoluere vel ligare peccantem, quam qui ſolutus eſt à Deo à peccatis? quis melius valet dare animas Deo, quam qui ei eſt proximus? Qui dentibus huiuſmodi ſtrident contra Monachos, infœlices ſunt, & verba eorum vana &c. Itaq; qui res, vel honores Eccleſiæ detrahit, Anathema ſit. Quid*

vltra dicam? Conuertimini & videte quia NIHIL MELIVS, quam derelinquere ſæculum, & ſequi Deum, qui dicit, venite ad me omnes, & ego vos requieſcere faciam. Hæc ſancto plenus zelo Beatus Petrus Damianus S. R.E. Cardinalis, & Epiſcoporum ſacri Collegij primus. Quæ ſi ſunt approbata, ſi Catholica, ſi iuſſu ſummorum Pontificum edita, ſi Pariſijs cum priuilegio Chriſtianiſsimi Regis excuſa, vt certè ſunt, ſpem conciliant fore, vt Daniel à Ieſu veſtra benignitate ab exilio reuocetur; Cuius libri doctrinam cum meo ſuffragio approbaſſem, & vt approbaretur ab alijs curaſſem, mei muneris eſſe putaui, vt latinè ediretur, vt ſe Catholicum eſſe, nec eius Approbatores falſos ſuo teſtimonio aſſereret. Poſſem adhuc alia eiuſdem doctrinę de præſtantia Religioſi ſtatus ex

Digitized by Google

veſtra Gallia citare recentiora exempla, ſed iam mihi videor mõdũ Epiſtolæ exceſsiſſe. Finio igitur, & à V. V. A.A. enixè ſuppléxq; poſtulo, vt hoc ſaltem extet veſtri in Danielem (qui vos veneratur & colit) placati animi argumẽtum, quod hanc libri ipſius latinam editionem ſub veſtri nominis vmbra in lucem emanare patiamini.

Digitized by Google

PRAEFATIO AD LECTOREM.

1. CHriſtianæ hiſtoriæ monumentis prodita exſtāt illuſtria clarorum virorum exempla, qui poſtquam hæreſim victrice ſemper calamo impugnaſſent, circa vitæ finem quaſi fatali quadam Ecclipſi partam ſuo nomini gloriam obſcurarunt. Huius autem Cataſtrophes ferè cauſas fuiſſe accepimus, vel quod ad Epiſcopi dignitatem, inconceſſumque primatum ardentioribus votis aſpirarent, vel nonnullis, quos Princeps Epiſcoporum, in pretio & honore habebat, inuiderent, vel denique quod Apoſtolicæ ſedis quædam facta, quæ minus ipſis probabantur, incurrere ſcribendo maluerint. Ego ſicut eximium D. Doctorem inter hoſce heroas ob matutina ipſius omni digna laude ſcripta recenſere non dubitabo, ita non progrediar hanc ipſius ſerotinam lucubrationem cum veſpertinis illorum ſcriptis componere, niſi hactenus tantum, quod cuperem, diſſimilior eſſet, minuſque redoleret illum fumum, qui non ſolet a cæleſti flamma excitari.

2. Scriptionis ſcopus illiuſmodi eſt, vt videri poſſit piſcem retrogradum, ſeu qui ſpectat aliò quam graditur imitari, vel fluuium, qui placido lapſu ſupernè cum fluat, interiore impetu rapidiſſimè fertur. Nam titulo tenus Anarchiam Caluini Tractatus impugnat, vnumque ac alte-

rum caput inſeritur, quo Controuerſia de Monarchia Eccleſiæ perfunctoriè ventilatur; quod reipſa molitur, quóque totius ſcriptionis pondus incumbit, hoc eſt, vt illa regiminis Eccleſiaſticis forma damnetur, quam perſecutione graſſante nobis Anglis aptiſſimam ſedes Apoſtolica iudicauit, nimirum, vt Angliæ (quod honoris fuit) propriam Epiſcopalem curam ipſemet ſummus Epiſcoporum gereret nullo alio Epiſcopo conſtituto: quo quidem in munere ſancti hi Principes amoris Chriſti in homines Vicarij, tam paternæ prouidentiæ viſceribus in nos fuerunt, vt Seminaria Cleri gentis noſtræ ipſimet fundarint, & ad ſimilia fundanda Catholicos principes induxerint. Quo factum, vt difficillimis temporibus ſacerdotum pietate præſtantium iuſtus numerus nunquam Angliæ defuerint, nunc autem Clero fruamur (de quo Doctor ipſe gloriatur) florentiſſimo, qualem domeſtici Epiſcopi propriæ curæ relicti ſperare nunquam potuiſſemus.

3. Enimuero hoc genus regiminis Doctor improbat, conuellereque nititur ſuo hierarchico tractatu; cauſatur enim hoc facto particularis Eccleſiæ ipſam eſſentiam in Catholicis Angliæ fuiſſe extinctam, illos ex grege Chriſti in multitudinem ἀκέφαλον vagamque conuerſos, Sacramento, ſine quo vitæ ſpiritualis acquiri perfectio non poteſt, deſtitutos, & deſtitutos illo ipſo tempore, quo illa perfectio ipſis ſummè per neceſſaria erat. Diuinam legem poſitiuam, cuius abrogandæ vel in ea diſpenſandi poteſtas

neq; ſummo Pontifici, neq; Eccleſiæ vniuerſæ ſuppetit, continuè per tot annos non fuiſſe obſeruatam, deniq; antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem, ſanctiſsimorumq; Pontificum conſtantiſsimam praxim penſi non eſſe habitam. Admiſcet Epiſcopalis ſtatus veræ gloriæ dignitatiſq; pleniſsimi non veras nimiaſq; laudes, quo Religioſi ſtatus lucem cum maiore comparatam obruat, & Epiſcopos habendi vehemens deſiderium in vulgo Catholicorum accendat. Sic enim ſe facilius perfecturũ credebat, quod animo deſtinatum erat, quòq; Catholicos perducere omni ope conatur, nimirum vt Reuerendiſsimum Chalcedonenſem admittunt tanquam proprium ſuum Epiſcopum, tanquam Principem, Patrem, Paſtorem, imo Patrem Patrum, Principemq; Paſtorum ab ipſo Spiritu ſancto conſtitutum, non ſummi Pontificis Delegatum, cum tamen eum non aliter quam Delegatum ſua ſanctitas in Angliam miſerit. In ordinanda etiam Eccleſiaſtica Hierarchia, quamuis præ ſe ferat, ſe à Caluini conſilijs inſtitutoq; maximè diſceſſurum, tamen ſacras illas acies loco mouet, quarum conſpectum Caluinus maximè formidabat, impenſiuſq; oderat, quam quæſdam illorum ordinũ, quos ipſe pro ſuo ſtudio prælatos vellet.

4. Itaq; cum ſcopus & ſeries tota ſcriptionis eò tendat, vt illius Eccleſiæ, quæ eſt *columna veritatis*, conſtantiſsimam praxim reprehẽdat, vix credi poteſt librum vndequaq; firmæ ſanęq; doctrinæ eſſe; illius tamen Cenſurã non mihi

aſſumo, ſed alijs remitto *iudiciariam* Cathedræ Petri, *iudicioſam*, vt ita dicam, ſeu *doctrinalem* erudito lectori, quam præmiſſo prius accurato examine (quale in hac noſtra reſponſione repręſentare pro noſtra facultate ſumus enixi) ferendam. Hoc ſolum affirmare auſim mirifica quadam, qua flagrat erga venerabilem Ordinem ſæcularium Angliæ Sacerdotũ, affectione, calamum ipſius longiùs, non dicam à Catholicæ fidei veritate, ſed à Catholicis ſeu receptiſſimis inter Catholicos opinionibus abripi, quam alioquin tam præſtans, qua pollet, rerum diuinarum cognitio à partium ſtudijs libera abripi potuiſſet. Hic ipſe zelus in cauſa eſt, quod dubijs ambiguiſq; ſententijs propemodum perpetuò agat, quas ferè lector niſi cautiſsimus, non niſi falſo erroneoq;, qui propoſito ſuo faueat ſenſu, accipiat, quanquam ipſi ſubtili aliqua diſtinctione nixus forteſsis contendet ſenſum illum à mente ſua fuiſſe alienum.

5. Illud etiam videor mihi me verè affirmare poſſe, hunc Tractatum quoad accuratam perfectamq; ſcriptionem, cum prioribus eiuſdem operibus non eſſe conferendum. Quin etiam hæretico, contra quem calamum ſtrinxiſſe videri vult, aduerſario, ſæpius cauſam ſuppeditat, vt aduerſus ipſum ipſiuſq; gratia, Catholicos altum ſapiat & ſupercilium tollat. Iſtiuſmodi ſunt aliquot circa ſacram ſcripturam memoriæ lapſus vt cap. 1. n. 13. *Iob* inquit *capite quadrageſimo hæc verba habet de Behemoth magno illo piſce, ipſe*

ipſe eſt initium viarum Dei, Behemoth piſcem facit, cum tamen loco illo deſcribatur, velut ingens terreſtre animal, qui fænum vt bos comedat, & montium herbam depaſcat. Illo ipſo, quem citaui, loco, ſcriptura inquit Luciferum comparat cum Behemoth, lapidibus pretioſis nouem ornato. Quantum velit in ſcripturarum ſacrarum alto curioſæ inquiſitionis retia extendat, Behemoth piſcem nouem lapidibus ornatum pretioſis nunquã capiet. Quale illud quod cap. 9. n. 14. intrepidè pronuntiat, initio Eccleſię Epiſcopos & Sacerdotes tantum & non alios Euangelium prædicaſſe? An non hęc in viro præſertim erudito mirabilis aberratio eſt? Quis enim Chriſtianorum non audiuerit S. Stephanum non Epiſcopum, non Sacerdotem, ſed Diaconum in prędicationem Euangelij incubuiſſe? quod etiam præſtitit Philippus Diaconus, qui ſua prædicatione Samaritas ad Chriſtum conuertit. Vt Epiſcopos Angelis officio pręferat c. 7. n. 2. ſic inſtat: *Cui Angelorum dictum eſt*, paſcite qui in vobis eſt gregem Dei. *Quod tamen Epiſcopus dicitur*. Cui interrogationi promptè quiſpiam ex Dei verbo reſpõderit, illis Angelis illud eſſe dictum, de quibus Pſalmiſta loquitur. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*. Angelos enim ex Dei mandato homines in vijs ſuis omnibus cuſtodire, quid aliud eſt quam gregem Dei paſcere, vigilantiſſimiq; paſtoris officio fungi? *Pſal. 90. 11.*

6. Circa Eccleſiaſticam hiſtoriam eſt aduertere non minus apertas hallucinationes. De-

ſcribit Cap. 13. n. 2. Traſimundi Arianorum tyranni perſecutionem in Catholicos, authoremq; citat Oroſium l. 1. c. 10. qui tamen Oroſius multis annis ante id temporis inter vita functos numerabatur. Summorum Pontificum Catologum texit. c. 13. n. 5. Quos dicit ante tempora Conſtantini paſſos, in quibus numerat Ioannem, Syluerium, Martinum, quos poſt Cōſtantinum ducentis ad minimum annis martyrio coronatos cuilibet in hiſtoria Eccleſiaſtica vel leuiter verſato conſtat. Illo ipſo Cap. 13. n. 6. inter perſecutionum nomina, quas Eccleſia Dei paſſa eſt, recenſet perſecutionem Veſpaſiani, quod tamen nomen ante hoc tempus non videtur fando auditum. Effert in cælum laudibus Romanos Pontifices, nominatim verò, Sanctum Cornelium, quod nunquam quamuis immaniſſima graſſaretur perſecutio ſucceſſionem intermitti, hoc eſt, ſedem diu vacare permiſerint, cum tamen ante electionem ipſiuſmet ſancti Cornelij ſexdecim circiter menſibus ſedes vacauerit. Quæ ſedis vacantia longior fuit quam vlla, quæ ante illud tempus acciderat, aut quæ poſtmodum intra mille annos contigit.

7. Argumenta Catholicorum ab alijs accepta ſic tractat, vt ea potius eneruet. Sic c. 3. n. 14. poſtquam ſanctum Petrum Monarcham totiuſque Eccleſiæ Paſtorem conſtitutum aſſeruiſſet, ex illo Euangelij textu: *Paſce oues meas*, ipſum Petrum inducit cum ſocijs Apoſtolis pro ſuo primatu diſputantem. *Si Petrus (inquit)*

poſt hanc ouium Chriſti curam ab ipſomet Chriſto illi mandatum reliquos Apoſtolos hac interrogatione pulſaſſet. An non eſtis vos de ouibus Chriſti? certe ſe eſſe non negaſſent, quo conceſſo, Petrus ſubſumere potuiſſet, ſi de Chriſti ouibus eſtis, etiam de meis ouibus eſtis, quia Chriſtus indiſcriminatim ſuas mihi oues omnes commiſit. Quodſi de meis ouibus eſtis, ego ſum Paſtor veſter ac Superior, nam ſicut ouis nomen eſt ſubiectionis, ita Paſtoris Superioritatis, iam ſi ego Paſtor veſter ſum, qui etiam eſtis Paſtores, ergo Paſtor ſum Paſtorũ, atq; ita Paſtor etiam omnium ouium veſtrarum, & conſequenter totius Eccleſiæ. Quoniam Domino Doctori venit in mentem Rhetorem hoc loco agere, & Proſopopæia vti, diſputationem, quæ Petri laudem dignitatemq; continet, alteri quam ipſimet Petro ſapientiùs tribuiſſet, iuxta diuinæ ſapientiæ preſcriptum: *laudet te os alienum, & non tuum.* Quin etiam hoc ipſum inducere Petrum cum ſocijs Apoſtolis pro ſuo primatu Monarchico contendentem; longiſſime abeſt à numero illarum rerum, quæ neceſſariæ ſunt. Quaſi vero de Petri hoc primatu Conſocij Apoſtoli dubitaſſent, quos poſt Monarchiã à Saluatore inſtitutam promptiores fuiſſe conſtat, vt Petri ſupra ſe authoritatem agnoſcerent, quam Petrus vt exerceret. Quare Domini Doctoris Proſopopæia, ſeu Petri in ſuos coapoſtolos diſputantis fictio omiſſa ſi fuiſſet, nihil veræ ſapientiæ eloquentiæq; libro deperiſſet.

8. Aſſertiones conſtituit eſſe de fide probationibus tenuibus & infirmis: ſit c. 8. n. 8.

36

Digitized by Google

ſpecu operam vſque ad profluentem ſudorem non ſemel collocaſſe, deq; hoc infami facinore hodiéq; gloriari; quod crimen neq; quidem hæretici Regulari vlli anteà obiecerant. Deinde non multò poſt prodijt alius liber titulo *Replicæ ad Diſcuſſionem*, qui omni, quo poteſt impetu, Religioſi ſtatus excellentiam deprimit, præfertq; Seminariſtas adeo, vt dicat,

(f) replica pag. 198. lin. 21. (f) *Certum eſſe quod vocatio Sacerdotis Seminariſtæ Angli poſt Epiſcopum ſit altiſſima vocatio, quæ eſt in Eccleſia*
(g) pag. 195 lin. 28. *Dei, &* (g) *excellere omnes alios Sacerdotes. Videri autem quod vocatio-*
(h) pag. 196 lin. 26. *ni Seminariſtæ non deſit* (h) *immobilitas, quæ ſufficiat ad ſtatum Hierarchiæ cum officio purgandi, illuminandi, perfi-*
(i) pag. 194. lin. 14. *ciendi* (i) *ſuperiorem ſtatui Parochorum, & Epiſcopali proximum.* His tot præuijs euocationibus cum Reuerendiſsimus Chalcedonenſis aliique

quibus incumbebat, libros iſtiuſmodi ſupprimi iuberent, non ſemel requiſiti nihil ad ſedandam cõtrouerſiam opis adhiberent, Apologiæ Author ſanctæ ſedis innocentiam, Anglicanæ Eccleſiæ vnitatem, Religioſi ſtatus præſtantiam defenſuſurus, ſe dedit in campum.

Quod fecit exemplo non ſolum Sancti Thomæ libro *contra impugnãtes Religionem*, ſancti Bonauenturæ in *Apologia pauperum*, ſed etiam multo antiquiore B. Petri Damiani S. R.E. Cardinalis & Epiſcopi Oſtienſis, de cuius doctrina, ſanctitate, authoritate dubitare nefas. Non defuêre, qui tunc dicerent, quod modo vrgetur, Monachos ad ſua monaſteria relegandos, de Hierarchia non eſſe, nec Hierarchicis actionibus fungi oportere. Contra quos exarſit epiſtola, quam ſcribit nomine Mo-

nachorum, in tomo epiſtolarum, authoritate Clementis (vt ſcribit Cardinalis (*k*) Baronius) piæ memoriæ collectarum, & iuſſu Pauli Quinti in lucem editarum, quas approbauit Magiſter ſacri Palatij, in (*l*) tomo, inquam Pariſiis typis excuſo, vbi quidquid Nicolaus Smithæus, vel Daniel à Ieſu habet de dignitate Hierarchica Religioſi ſtatus, multo apertiùs, ampliùs, vehemẽtiùs tradit, pauculas indè particulas delibabo.

an. 1072. (k) *tom. 11. mandato Beatiſſimi D. N. Clementis 8.* (l) *Apud Sebaſtianum Cramoiſy. an. 1610.*

C. 5. Epi. 19. *Cunctis amantiſſimis Clericis ac Canonicis omnes vnanimiter Monachi.*

M*Vltum fratres chariſſimi, &c. audire, miramur quomodo vel ob quã cauſã conamini nos à conſortio & vnitate vniuerſalis Eccleſiæ ſeperare, cum conſtet à Monachis, non à Canonicis, vniuerſalem Eccleſiam fundatam, ac gubernatam; & à diuerſo errore cribra-*

tam &c. Apoſtolos certè, & ſucceſſores eorum, ſi irreuerberatis oculis paginas noui inſtrumenti perſpicitis, Monaſtico non Canonico more viuere inuenietis: eiſq; poteſtatem ligandi atque ſoluendi conceſſam à Domino proculdubio reperietis. Et paulo poſt: *Sed ne longius toxica illius veneni ſerpant, manifeſto oſtendimus anteceſſoribus noſtris, PRÆ OMNIBVS CLERICIS hæc Sacramenta licitum fuiſſe cõtingere, & diſpenſare. Requirite ſancta 8.° Concilia, & maximè 6.m & 7.m ibique inuenietis Monachis licitum fuiſſe diſputare abſq; vllo ſcrupulo in conſpectu Cõcilij ſuper omnes qui aderant.* Hæc B. Damianus, qui deindè diſputat de habitu Monachali quantum Clericalem antecellit, aſſertq; conſtitutionem Bonifacij quarti, quæ incipit, *Nonnulli*, tandémq; his verbis concludit: *propter hoc relinquet Rex*

Regnum, & ſummus Pontifex Pontificatum, Epiſcopus, Epiſcopatum, Comes Comitatum, & multi diuites vtriuſque ſexus ſuas poſſeßiones in ſæculo, &c. venient in Monaſteria ad ſeruiendum Deo. Abſit vt Monachus viuens ſub regula vel Abbate ſubijciatur alijs hominibus.

Nefas eſt dicere, Monachus non habet poteſtatem ligandi atq; ſoluendi, vt quidam dicunt, quia mortui ſunt. Verè mortui ſunt huic ſæculo, ſicut ſancti Apoſtoli erant, ex quibus vnus dicebat, ſi enim mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul viuemus cũ eo. *Quis poteſt melius ſoluere vel ligare peccantem, quam qui ſolutus eſt à Deo à peccatis? quis melius valet dare animas Deo, quam qui ei eſt proximus? Qui dentibus huiuſmodi ſtrident contra Monachos, infælices ſunt, & verba eorum vana &c. Itaq; qui res, vel honores Eccleſiæ detrahit, Anathema ſit. Quid*

ultra dicam? Conuertimini & videte quia NIHIL MELIVS, quam derelinquere ſæculum, & ſequi Deum, qui dicit, venite ad me omnes, & ego vos requieſcere faciam. Hæc ſancto plenus zelo Beatus Petrus Damianus S. R.E. Cardinalis, & Epiſcoporum ſacri Collegij primus. Quæ ſi ſunt approbata, ſi Catholica, ſi iuſſu ſummorum Pontificum edita, ſi Pariſijs cum priuilegio Chriſtianiſsimi Regis excuſa, vt certè ſunt, ſpem conciliant fore, vt Daniel à Ieſu veſtra benignitate ab exilio reuocetur; Cuius libri doctrinam cum meo ſuffragio approbaſſem, & vt approbaretur ab alijs curaſſem, mei muneris eſſe putaui, vt latinè ediretur, vt ſe Catholicum eſſe, nec eius Approbatores falſos ſuo teſtimonio aſſereret. Poſſem adhuc alia eiuſdem doctrinę de præſtantia Religioſi ſtatus ex

Digitized by Google

veſtra Gallia citare recentiora exempla, ſed iam mihi videor mo-dũ Epiſtolæ exceſsiſſe. Finio igitur, & à V. V. A. A. enixè ſuppléxq; poſtulo, vt hoc ſaltem extet veſtri in Danielem (qui vos veneratur & colit) placati animi argumẽtum, quod hanc libri ipſius latinam editionem ſub veſtri nominis vmbra in lucem emanare patiamini.

Digitized by Google

PRAEFATIO AD LECTOREM.

1. CHriſtianæ hiſtoriæ monumentis prodita exſtāt illuſtria clarorum virorum exempla, qui poſtquam hæreſim victrice ſemper calamo impugnaſſent, circa vitæ finem quaſi fatali quadam Ecclipſi partam ſuo nomini gloriam obſcurarunt. Huius autem Cataſtrophes ferè cauſas fuiſſe accepimus, vel quod ad Epiſcopi dignitatem, inconceſſumque primatum ardentioribus votis aſpirarent, vel nonnullis, quos Princeps Epiſcoporum, in pretio & honore habebat, inuiderent, vel denique quod Apoſtolicæ ſedis quædam facta, quæ minus ipſis probabantur, incurrere ſcribendo maluerint. Ego ſicut eximium D. Doctorem inter hoſce heroas ob matutina ipſius omni digna laude ſcripta recenſere non dubitabo, ita non progrediar hanc ipſius ſerotinam lucubrationem cum veſpertinis illorum ſcriptis componere, niſi hactenus tantum, quod cuperem, diſſimilior eſſet, minuſque redoleret illum fumum, qui non ſolet a cæleſti flamma excitari.

2. Scriptionis ſcopus illiuſmodi eſt, vt videri poſſit piſcem retrogradum, ſeu qui ſpectat aliò quam graditur imitari, vel fluuium, qui placido lapſu ſupernè cum fluat, interiore impetu rapidiſſimè fertur. Nam titulo tenus Anarchiam Caluini Tractatus impugnat, vnumque ac alte-

rum caput inſeritur, quo Controuerſia de Monarchia Eccleſiæ perfunctoriè ventilatur; quod reipſa molitur, quóque totius ſcriptionis pondus incumbit, hoc eſt, vt illa regiminis Eccleſiaſticis forma damnetur, quam perſecutionē graſſante nobis Anglis aptiſſimam ſedes Apoſtolica iudicauit, nimirum, vt Angliȩ (quod honoris fuit) propriam Epiſcopalem curam ipſemet ſummus Epiſcoporum gereret nullo alio Epiſcopo conſtituto: quo quidem in munere ſancti hi Principes amoris Chriſti in homines Vicarij, tam paternæ prouidentiæ viſceribus in nos fuerunt, vt Seminaria Cleri gentis noſtræ ipſimet fundarint, & ad ſimilia fundanda Catholicos principes induxerint. Quo factum, vt difficillimis temporibus ſacerdotum pietatē præſtantium iuſtus numerus nunquam Angliæ defuerint, nunc autem Clero fruamur (de quo Doctor ipſe gloriatur) florentiſſimo, qualem domeſtici Epiſcopi propriæ curæ relicti ſperare nunquam potuiſsemus.

3. Enimuero hoc genus regiminis Doctor improbat, conuellereque nititur ſuo hierarchico tractatu; cauſatur enim hoc facto particularis Eccleſiæ ipſam eſſentiam in Catholicis Angliæ fuiſſe extinctam, illos ex grege Chriſti in multitudinem ἀκέφαλον vagamque conuerſos, Sacramento, ſine quo vitæ ſpiritualis acquiri perfectio non poteſt, deſtitutos, & deſtitutos illo ipſo tempore, quo illa perfectio ipſis ſummè per neceſſaria erat. Diuinam legem poſitiuam, cuius abrogandæ vel in ea diſpenſandi poteſtas

neq; ſummo Pontifici, neq; Eccleſiæ vniuerſæ ſuppetit, continuè per tot annos non fuiſſe obſeruatam, deniq; antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem, ſanctiſsimorumq; Pontificum conſtantiſsimam praxim penſi non eſſe habitam. Admiſcet Epiſcopalis ſtatus veræ gloriæ dignitatiſq; pleniſsimi non veras nimiaſq; laudes, quo Religioſi ſtatus lucem cum maiore comparatam obruat, & Epiſcopos habendi vehemens deſiderium in vulgo Catholicorum accendat. Sic enim ſe facilius perfecturū credebat, quod animo deſtinatum erat, quoq; Catholicos perducere omni ope conatur, nimirum vt Reuerendiſsimum Chalcedonenſem admittunt tanquam proprium ſuum Epiſcopum, tanquam Principem, Patrem, Paſtorem, imo Patrem Patrum, Principemq; Paſtorum ab ipſo Spiritu ſancto conſtitutum, non ſummi Pontificis Delegatum, cum tamen eum non aliter quam Delegatum ſua ſanctitas in Angliam miſerit. In ordinanda etiam Eccleſiaſtica Hierarchia, quamuis præ ſe ferat, ſe à Caluini conſilijs inſtitutoq; maximè diſceſſurum, tamen ſacras illas acies loco mouet, quarum conſpectum Caluinus maximè formidabat, impenſiuſq; oderat, quam quoſdam illorum ordinū, quos ipſe pro ſuo ſtudio prælatos vellet.

4. Itaq; cum ſcopus & ſeries tota ſcriptionis eò tendat, vt illius Eccleſiæ, quæ eſt *columna veritatis*, conſtantiſsimam praxim reprehēdat, vix credi poteſt librum vndequaq; firmæ ſanæq; doctrinæ eſſe; illius tamen Cenſurā non mihi

aſſumo, ſed alijs remitto *judiciariam* Cathedræ Petri, *iudicioſam*, vt ita dicam, ſeu *doctrinalem* erudito lectori, quam præmiſſo prius accurato examine (quale in hac noſtra reſponſione repræſentare pro noſtra facultate ſumus enixi) ferendam. Hoc ſolum affirmare auſim mirifica quadam, qua flagrat erga venerabilem Ordinem ſæcularium Angliæ Sacerdotũ, affectione, calamum ipſius longiùs, non dicam à Catholicæ fidei veritate, ſed à Catholicis ſeu receptiſſimis inter Catholicos opinionibus abripi, quam alioquin tam præſtans, qua pollet, rerum diuinarum cognitio à partium ſtudijs libera abripi potuiſſet. Hic ipſe zelus in cauſa eſt, quod dubijs ambiguiſq; ſententijs propemodum perpetuò agat, quas ferè lector niſi cautiſsimus, non niſi falſo erroneoq;, qui propoſito ſuo faueat ſenſu, accipiat, quanquam ipſi ſubtili aliqua diſtinctione nixus fortaſsis contendet ſenſum illum à mente ſua fuiſſe alienum.

5. Illud etiam videor mihi me verè affirmare poſſe, hunc Tractatum quoad accuratam perfectamq; ſcriptionem, cum prioribus eiuſdem operibus non eſſe conferendum. Quin etiam hæretico, contra quem calamum ſtrinxiſſe videri vult, aduerſario, ſæpius cauſam ſuppeditat, vt aduerſus ipſum ipſiuſq; gratia, Catholicos, altum ſapiat & ſupercilium tollat. Iſtiuſmodi ſunt aliquot circa ſacram ſcripturam memoriæ lapſus vt cap. 1. n. 13. *Iob* inquit *capite quadrageſimo hæc verba habet de Behemoth magno illo piſce, ipſo*

ipſe eſt initium viarum Dei, Behemoth piſcem facit, cum tamen loco illo deſcribatur, velut ingens terreſtre animal, qui fænum vt bos comedat, & montium herbam depaſcat. Illo ipſo, quem citaui, loco, ſcriptura inquit Luciferum comparat cum Behemoth, lapidibus pretioſis nouem ornato. Quantum velit in ſcripturarum ſacrarum alto curioſæ inquiſitionis retia extendat, Behemoth piſcem nouem lapidibus ornatum pretioſis nunquã capiet. Quale illud quod cap. 9. n. 14. intrepidè pronuntiat, initio Eccleſię Epiſcopos & Sacerdotes tantum & non alios Euangelium prædicaſſe? An non hęc in viro præſertim erudito mirabilis aberratio eſt? Quis enim Chriſtianorum non audiuerit S. Stephanum non Epiſcopum, non Sacerdotem, ſed Diaconum in prędicationem Euangelij incubuiſſe? quod etiam præſtitit Philippus Diaconus, qui ſua prædicatione Samaritas ad Chriſtum conuertit. Vt Epiſcopos Angelis officio pręferat c. 7. n. 2. ſic inſtat: *Cui Angelorum dictum eſt*, paſcite qui in vobis eſt gregem Dei. *Quod tamen Epiſcopus dicitur*. Cui interrogationi promptè quiſpiam ex Dei verbo reſpõderit, illis Angelis illud eſſe dictum, de quibus Pſalmiſta loquitur. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*. *Pſal. 90. 12.* Angelos enim ex Dei mandato homines in vijs ſuis omnibus cuſtodire, quid aliud eſt quam gregem Dei paſcere, vigilantiſſimiq; paſtoris officio fungi?

6. Circa Eccleſiaſticam hiſtoriam eſt aduertere non minus apertas hallucinationes. De-

Digitized by Google

poſt hanc ouium Chriſti curam ab ipſomet Chriſto illi mandatum reliquos Apoſtolos hac interrogatione pulſaſſet. An non eſtis vos de ouibus Chriſti? certe ſe eſſe non negaſſent, quo conceſſo, Petrus ſubſumere potuiſſet, ſi de Chriſti ouibus eſtis, etiam de meis ouibus eſtis, quia Chriſtus indiſcriminatim ſuas mihi oues omnes commiſit. Quod ſi de meis ouibus eſtis, ego ſum Paſtor veſter ac Superior, nam ſicut ouis nomen eſt ſubiectionis, ita Paſtoris Superioritatis, iam ſi ego Paſtor veſter ſum, qui etiam eſtis Paſtores, ergo Paſtor ſum Paſtorũ, atq; ita Paſter etiam omnium ouium veſtrarum, & conſequenter totius Eccleſiæ. Quoniam Domino Doctori venit in mentem Rhetorem hoc loco agere, & Proſopopæia vti, diſputationem, quæ Petri laudem dignitatemq; continet, alteri quam ipſimet Petro ſapientiùs tribuiſſet, iuxta diuinæ ſapientiæ præſcriptum: *laudet te os alienum, & non tuum.* Quin etiam hoc ipſum inducere Petrum cum ſocijs Apoſtolis pro ſuo primatu Monarchico contendentem, longiſſime abeſt à numero illarum rerum, quæ neceſſariæ ſunt. Quaſi vero de Petri hoc primatu Conſocij Apoſtoli dubitaſſent, quos poſt Monarchiã à Saluatore inſtitutam promptiores fuiſſe conſtat, vt Petri ſupra ſe authoritatem agnoſcerent, quam Petrus vt exerceret. Quare Domini Doctoris Proſopopæia, ſeu Petri in ſuos coapoſtolos diſputantis fictio omiſſa ſi fuiſſet, nihil veræ ſapientiæ eloquentiæq; libro deperiſſet.

8. Aſſertiones conſtituit eſſe de fide probationibus tenuibus & infirmis: ſit c. 8. n. 8.

Quod Diaconi & Subdiaconi ſint diuinæ inſtitutionis omnino certum eſſe contendit, & à Concilio Tridentino definitum, ſiquidem ſect. 23. Canone 6. Anathema pronuntiat in eum, *qui dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam qua cõſtat ex Epiſcopis, Presbiteris & miniſtris*. Cum dicatur inquit Doctor *in plurali, miniſtris*, miniſtrorum appellatione comprehẽdere neceſſariò debemus Diaconos & Subdiaconos ſaltem. Quis non ſtatim ſentiat hoc argumentum quam ſit infirmum? Concilium enim etiam in plurali dicit, Hierarchiam diuinitus inſtitutam conſtare ex Sacerdotibus, neq; tamen hoc cogit, vt plura Sacerdotum genera in Eccleſiam inuehamus, ſed ſufficit vt plures eiuſdem Sacerdotij conſortes in Eccleſia ſint, Concilium ſimuli ratione poſſet intelligi, cum dicit miniſtros in plurali, vt tantum plures eiuſdem ordinis miniſtros ſcilicet Diaconos ſua definitione complecti voluerit. Quam tenui igitur probatione ſuum fidei dogma ſtabilit Doctor, vt ex plurali numero miniſtrorum concludat, tanquam rem certam & exploratam Diaconos & Subdiaconos debere intelligi: Hęc ſimiliaq; infirmitatis minuſq; perfectæ ſcriptionis indicia, quæ colligi poſſint, oſtendunt authorem hoc opus non eodem, quo priora ſcripſerat, zelo elucubraſſe, non ita ſcilicet puro & ab omni fumo, qui oculis offutiam facere ſolet, purgato.

9. Vtcunque ſit, obſeruantia veneratioque quam priora merita illi accumulant, quaque

illam complector complexuſq; ſum ſemper, hoc à me obtinebit, vt pro certo habeam, errores ſi quos aſſerere comperietur, non eſſe eiuſmodi, quin illi viro comparare eum poſſim, qui temporali lapſu in errorem ſancti nomen immortale non amiſit, Diuinũ intelligo Cyprianum, ſuæ Affricæ totiuſque Eccleſiæ lumen, omnino conſtanterq; credam neceſſitatis Epiſcopos in Anglia habendi infixam animo perſuaſionem, cum nulla dignitatis illius appetitione coniunctam, veritatis, quam ſtare à partibus ſæcularis Cleri in animam induxerat, ſincerum ſtudium, non inuidia erga regulares cæcum aliquem impetum, animum ipſius in hac ſcriptione calamumq; commouiſſe; In qua ſi quid erratum forſitan eſt, humanæ habeatur imbecillitatis argumentum, non aduerſus charitatis Chriſtianæ iura peccatum, eiuſmodi quin ſententiam, quam Cypriano excuſando adhibet Sanctus Auguſtinus, applicare ipſi verè poſſim, *nævum in Candidiſſimo* pectore ſanctæ illius animæ claritatis vbera contegebant. *l. 1. de bapt. cont. Donat. c. 19.*

10. Huius etiam charitate adducor in ſpem eum nequaquam offenſum iri hac noſtra Apologia, qua ſedis Apoſtolicæ quoad Angliæ catholicos regimen defenditur, Religioſique ſtatus perfectio explicatur. Spectat enim præcipua quadam ratione ad bonum generis humani, ſalutemque continet animarum, vt hæ duæ columnæ authoritatis vna, altera ſanctitatis, nullius auſu violentur, præſertim a catholico homine noſtræ gentis; Nos enim vtique præ cæte-

ris gentibus vinculo gratitudinis obſtrictiſſimi ſumus, vtriuſq; ſtudio, operaq; ad Chriſti fidem a gentiliū erroribus traducti, primæ autem, hoc eſt ſanctæ ſedi, etiam debemus noſtram in hac tam diuturna perſecutione conſtantiam, vt poſt Deum, illius vicario cum gratitudinis affectu dicere poſſimus, *miſericordia Domini quod non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes eius.* Nam de ſecunda Religioſorū ſcilicet ope, quātum domi, foriſque hoc opus promouerit, & in educationē cleri, omni tum doctrinæ, tum pietatis præſtantiâ inſignem incubuerunt, ſtatui nihil dicere. Quod ſi authorum, quos pro ſe adducit, teſtimonia nonunquam minus ex fide, & ad ipſorum mentem adduci demonſtro, non tam ægrè feret hoc detegi, quā ſe eiuſmodi cauſæ patrocinium ſuſcepiſſe, quæ non poſſit ſine hoc ſubſidio, cuius veritas nunquam eget, defendi; cum de Cypriano ſcribit Cardinalis Bellarminus, non eſſe mirum errantem errantium more ratiocinari, non erit contra ipſius Domini Doctoris exiſtimationem, ſi illi hoc ipſū applicetur, vel quod de laudatiſſimo Cardinali Turrecremata ipſemet Doctor affirmat in hac ſua Hierarchia pag. 273. *fuit quidem vir omnino Doctiſſimus, quanquam viri doctiſſimi, homines etiam ſunt, ſic adeò decipi poſſunt.*

Puncta quæ tractantur hæc ſunt.

1. Particularem aliquam Eccleſiam poſſe ſub cura vniuerſalis ſine proprio Epiſcopo conſiſtere.

Digitized by Google

2. Confirmationis Sacramentum non eſſe vſque adeo neceſſarium tempore perſecutionis, vt cum quocunque eius incremento, Epiſcopus, qui illud adminiſtret, haberi debeat.

3. Diuinam legem poſitiuam, non ita obligare Pontificem, vt Angliæ catholicis dare proprium Epiſcopum debuerit, aut debeat, quantumcunque inde perſecutio increſcat.

4. Primitiua Eccleſia pro temporis & perſecutionis huius circumſtantijs Epiſcopum in Anglia non conſtitueret.

5. An Regulares eminentem dignitatis locum in Eccleſia, ſeu Hierarchia Eccleſiaſtica habeant?

6. Qua ratione ſtatus Epiſcopalis Religioſum ſuperet?

7. An Apoſtoli fuerint Religioſi, an ſæculares?

8. An regimen Eccleſiæ, & ius prædicandi gentibus infidelium diuina inſtitutione competat ſæcularibus, non Regularibus?

9. Importunitas Doctoris pro Reuerendiſſimo Chalcedonenſi vt tanquam Princeps, admittatur non vt Delegatus, quam ſit a ratione aliena?

Digitized by Google

TYPOGRAPHVS LECTORI.

BEnigne Lector, errores, quos hoc in libro deprehendes, erũt fortè plurimi, idque non ſine ratione, ſed abſque mea culpa: quod minuta illegibili ferè caractere fuerit conſcripta. Et corrector eius non ſatis Latinus. Sed ſpero non fore magni momenti, quos arrepto calamo facilè caſtigare poſſis. In quo fauorabilem tuam requiro opellam. Valè.

Digitized by Google